



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Paupertas eius, & castimonia. Cap. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

Et grauioribus verbis accepit hominem; non quo illius tum quidem opera egeret; sed obseruantiam & agilitatem experiri voluerat. Sic enim aiebat; cupere se, quemadmodum ceteræ Deo dicatæ familiæ, ex instituto alia paupertatem, aliæ silentium, aliæ psalmodiam, aliæ deniq. aliud præcipuo studio colerent; sic in Societate nihil haberi prius aut potius alacritate amoreq. parendi; & maxime proprium insigne nostrorum hominū esse Obedientiam; quippe quæ, diuo Gregorio teste, virtus vna, ceteras omnes animo virtutes inserat, insertasq. custodiat. Hisce ergo artibus, & huiusmodi, subinde alūnos exercere consuevit; ut ad quamlibet præfecti vocem, aut significationē parati, vel inchoatum apicem in scribendo relinqueret; seq. expeditos vbi vbi opus esset, illico sisterent.

Paupertas eius, & castimonia.

C A P . V I I I .

Voluntariam paupertatem (quam ille religionis murum appellabat) ad extreimū vsq. constantissime coluit; nec modo ipse proprium habuit nihil, sed ne alios quidem, quamuis genere nobiles, ac deliciis olim assuetos, quidquam habere permisit. quinetiam quemquam è professa domo apud Germanicum, Romanūq; Collegium, nisi admodū raro & iusta de causa prohibuit vesci: quo nimurum, si opus esset, jurare verius posset, nihil omnino ad ipsam domum ex Collegiorum fratribus peruenisse. Pauperē autem spiritu cum sibi deniq. aiebat videri, qui erga ea quibus vteretur, sic esset affectus animo, vt instar statuæ cuiusdā videretur esse, quæ nullo pacto resistit recusatve, quominus omni

omni quamvis pretioso amictu & ornatu confestim exuatur. Castitatis vero laudem Dei beneficio tantā adeptus est, vt ex quo die sese in beatę Virginis fidem ac patrocinium contulit voto; nullam, vt initio dictū est, deinde quamvis præferuidus natura, carnis tyrannidem senserit. Porro in Societate nobilissimā hanc virtutem tanto studio custodiri volebat, vt nihil omnino neq. in dictis neq. in factis lascivum aut pecculans appareret: ac quoad fieri posset, nostri cælestē vitam in terris ageret, ab omni corporis contagione sciuncti. Quinetiam in scholis Terétium explicari (ni perpurgatus esset) quamquam optimum Latinitatis auctorem, & Romanæ comœdiae principem, vetuit nominatim, quòd eum videlicet parum verecūdum ac parum pudicum arbitraretur. Noluit igitur ea lectio puerorum animos imbui; ne plus moribus noceret, quam prodesset ingenij. ex quo facile existimari potest, in ceteris rebus quam acer & vigilans custos pudicitiae fuerit.

Aequitas animi, & constantia eiusdem.

C A P . I X .



Duersus ea quæ videntur acerba, & contra omnes varietates quæ in vita versantur, animo fuit semper ita præsenti, vt nūquam vel à statu naturæ, vel à religiosi dignitate discederet. Romę cum apud nobiles quosdam, vt solebat, de rebus diuinis familiariter ageret, instituto iam sermone, trepidus ab domo nuntius ei repente in autem insurrat, lictores in domesticam supellecstilem à creditoribus immissos, cuncta miscere & cuertere: vix ab eis impetratum sustinerent tantisper dum